ECCLESIA SPALATENSIS

OLIM SALONITANA

FUNDATA A DOMNIO ANTIOCHENO

PRIMO

DIVI PETRI DISCIPULO

PRIMATIALIS

DALMATIAE, CROATIAE ET ALBANIAE

PRIMA AC FIDELISSIMA SEDIS APOSTOLICAE FILIA

AGGREGATA BASILICAE VATICANAE A BENEDICTO XIV

MODO EPISCOPALIS

FAUSTA ADPRECANS

PIO IX

FELICITER REGNANTI

XXV

EJUS PONTIFICATUS ANNO

CONCILIUM VATICANUM ABSOLVENTI

CARMEN POLYMETRON

D. D. D.

SPALATI

TYP. JOANIS BAPTISTAE SOREGOTTI

1871.

JOANNI A COMITIBUS MASTAI FERRETTI SENENSI

QUI

UT PRAESBYTER-AUDITOR APOSTOLICAE DELEGATIONIS IN CILE

EPISCOPUS SPOLETANUS ET CARDINALIS FORI CORNELII

INGENTEM SIBI FAMAM

VERBO ET OPERE PIENTISSIMO

CONDIDIT

QUIQUE UT PONTIFEX MAXIMUS ET REX NOMINE PIUS IX

HIERARCHIAS AMERICANAM ANGLICAM BATAVAM

INSTITUIT REPARAVITVE

CXVI NOVOS EPISCOPATUS - XXXII E DELEGATIONIBUS PRAEFECTURIS

ET APOSTOLICIS VICARIATIBUS SEDES IN FIDEM CATHOLICAM AMPLIANDAM

INDUXIT

ECCLESIASTICA PACTA CUM SEPTEM EUROPAE PRINCIPIBUS

FIRMAVIT

DOGMA DE SS. VIRGINE NULLA ORIGINALI LABE CONCEPTA

EDIXIT PERVULGAVIT

TOT HAERESES RELIGIONE FUCATAS

DETEXIT DAMNAVIT

IN APOSTOLORUM PRINCIPEM PETRUM

FIDELIUM OBSEQUIUM PIETATEMQUE

EXCITAVIT ET AUXIT

TOT RECENTIBUS MARTYRIBUS CONFESSORIBUSQUE

ALBUM RITE DITAVIT

TEMPLA STUDIORUM MORUMQUE DISCIPLINAS ARTES INGENUAS

EXORNAVIT PERFECIT

A SANCTIS ECCLESIAE JURIBUS

INVICTO ANIMO

STETIT ET OPTUME MERUIT
SUMMA FIDE IN DEUM SUMMA CHARITATE IN HOMINES
IN GRAVISSIMO PRAESENTIUM DISCRIMINE
OECUMENICAM SYNODUM
AD FIRMANDUM SPEM CATHOLICORUM ATQUE SALUTEM
PROXIMIS DECEMBRIBUS DIEBUS
INDIXIT
HODIE III IDUS APRILIS MDCCCLXIX
IPSI L ANNUM AGENTI
A PRIMA DIE QUA AETERNO PATRI
INCRUENTAM HOSTIAM
ROMAE OBTULIT
DUM
CATHOLICORUM CUJUSCUMQUE ORDINIS COETUS
IO TRIUMPHE
LAETISSIMIS VOTIS PRECIBUSQUE CONCLAMITANT
HUNC POESEOS FLOSCULUM
DALMATA SPALATENSIS URBS
VENERABUNDA
D. D. D.

PIO IX PONTIFICI MAXUMO
IN MONIMENTUM
L ANNI EX QUO PRAESBYTER PRIMUM SACRIS OPERANS
DIVINAM HOSTIAM
PRO GENTIUM SALUTE
ROMAE OBTULIT

Elegidion

En decies quinos ardens caput extulit aestas,
Atque suum totidem bruma peregit iter,
Ex quo Papa Pius, divini Altaris honorem,
In gentes Verbum protulit Omnipotens,
Quod vates veterum; et sancti cecinere Prophetae,
Quodque salum, tellus, aether et ipse stupet.
Hanc sacram nos rite diem celebramus ovantes,
Mente manuque pii vota precesque damus.
Impietas late per campos errat et urbes;
Livida Styx illa nil puto pejus habet.
Hoc non militibus, neque jam compescitur armis,
Ullâ nec belli vincitur arte malum.
I, Pastor, renova caeli admirabile munus,
Quo spes, et surget quae bona cumque salus.
Prisca fides niveis praecedens vecta quadrigis
Dat signum occultum nempe venire Deum,
Qui bonus et mitis [nos nos hoc credimns omnes,]
Accipiet prona supplicis aure preces.
Hinc odium Veri, gaudensque ambagibus Error,
Consiliisque expers, indocilisque furor;
Et scelera et fraudes, nec non mendacia mille
Impete nudabunt fasque nefasque suum.
Nam Deus edixit: vis impia nulla valebit
In Christum et sanctis quaelibet unicta suis.

L. S.

FRANCISCO JOSEPHO I

AUSTRIAE IMPERATORI

Regi Hungariae, Boemiae, Dalmatiae

etc. etc. etc.

Ode

Jubilo nostras resonare ripas
Audio ob tanti reditum Patroni,
Qui suas gentes animo lubenti
Ditat ubique.

Plurimos nondum Spalati per annos
Splenduit lucis radius; sed orto
Sole, de terra miseram tuemur
Surgere plebem.

Ver referet flores varios, in hortis
Arbores crescunt, hilarique mente
Colligunt latis pueri canistris
Dulcia poma.

Rusticus vites patiens maritat
Frondibus; sumptus proprio labore
Curat, et multas pecudes in agro
Nutrit amoeno.

Arva nunc praebent segetes colono,
Amphorae grato redolent falerno,
Quas sagax multo pretio redemptas
Advena quaerit.

Pauper haud istos remeare fines
Amplius questu poterit videri,
Quemque sed pagum pariter replebit
Copia rerum.

Interim portus licito patescunt
Navibus gressu; properat viator
Palladis fructus cumulare nostras
Aere per oras.

Artifex victum sibi comparabit
Quisque conatu facili; sed omnes
Dalmatae laetos poterunt in aevum
Tollere plausus.

Pace gaudebunt juvenes senesque,
Qui diu ingenti fuerant repressi
Pondere; hos tandem recrea dolentes
Ore sereno.

Sint procul lites, animique motus,
Qui solent mentes vitiare puras,
Ne foret nobis metuendus ardor
Hostis iniqui.

Dum tuas laeti celebrare laudes
Nitimur, nostros ferat aura cantus,
Ne tuum nomen Spalati futura
Deleat aetas.

DOMNIO ANTIOCHENO

DIVI PETRI DISCIPULO

APOSTOLO

DALMATIAE ET ILLIRII

EPIGRAMMA

Illyrii Princeps sacra redimite corona,
Quen recolit supplex Adriaci ora maris.

Tu decus es Spalati, sub quo duce et auspice nostra
Ducit jucundos urbs Tibi cara dies.

En sacros cineres populi venerantur, ad aram
Munera poscentes, atque recepta canunt.

Id miri latices testantur, visque malorum
Urbe procul facili saepe repulsa manu.

Grati animi carmen coelo bone Praesul ab alto
Respice, dans populis tempora laeta tuis.

Victor ubi aeterna felix Tu luce coruscas,
Nosceris et custos pervigil esse gregis.

Cum fera tartarei rugiens ut devoret antri
Adstabit, proprias suscipe Pastor oves.

IN DIE FESTO

DIVI DOMNII ANTIOCHENI

SPALATI PATRONI

EJUSQUE TRANSLATIONIS

CENTENARIO

Nonis Maji MDCCCLXX

Ode

Quo jam superbus saepe cessit error
Ultore, claros et tulit triumphos
Fides Cliente: summa nempe virtus
Domnium perornat.

Et mors, et atrae principes cohortis,
Undaeque, et imber, morbidaeque turbae
Verbum tremiscunt, jussa persequuntur
Concelebrantque facta.

Et quos tenebat, pene victor, artus
Daemon reliquit jussus, extremuntque
Morbi jubentis verba: sospitati
Restituuntur aegri.

Quos unda mersit naufragos sub alto
Sinu dehiscens, innatant vocati,
Ingensque medio pensilis stetisse
Aere visus imber.

Frustra ruinis obrutum caducis,
Vitaeque raptum dira mors potitur
Depulsa cedit, surgit imperante
Domnio renatus.

Olli patescunt, nocte quae sub alta
Premit futurum tempus, intimisque
Arcana Vates mentium latebris
Obsita rite pandit.

Quae foeda labes sordida lacessit
Contage, flammis quae perurit icta
Incestus ardor, corda conspicatur
In lacrymas solutus

Flammae facessunt, deperitque labes:
Ceu flos odorus, vasculumque fragrat
Liquore manans, castitas novatis
Cordibus halat imis.

Hunc ergo Cives ambient Parentem
Ollique texent perpetes coronas:
Hac luce fractus, hac facesset error
Undique vi recussus.

DOMNIO PATRONO

Astra qui coeli colitis serena
Spiritus, laetum resonate carmen,
Domnio, ut nostras veniens ad aures
Pectora tangat.
Praesul hic Petri manibus sacratus
Jussus et nostras properare ad oras,
Eminet verbo, tribuitque mira
Dona salutis.
Jam tremunt falsis fabricata formis
Templa; jam sacra renovatur unda,
Et Crucis signo decorat minacem
Dalmata frontem.
Victor et dives spoliis deorum,
Pontifex, Christo monumenta tollit,
Cultus et vani reprimens furorem
Tartara torquet.
Haud timet trucis faciem Tyranni,
Sanguine at fuso generosus heros,
Laetus exquirens superum triumphos,
Sidera scandit.
Lumen, o Domni, decus atque nostrum,
Vosque quos primos memorat magistros
Hoc solum, semper referat beatos,
Poscite, fructus.
Iste Vir magnus, celeberque miris,
Pontifex, Petri veniens ab ulnis,
Dalmatis laetus reserat supernae
Limina vitae.
Firmat exemplo, reficitque voce
Omnium mentes, fidei nitorem
Protegit fervens, docet alta, saevum
Conterit hostem.
Inclytus signis, meritisque fulgens
Migrat ad coelos Pater, ac Patronus,
Candidis cinctus simul atque rubris
Tempora sertis.

I. C.

SPALATI SERVANTUR JURA

ECCLESIAE SALONITANAE

Elegidion

Domnius advenit mira virtute Salonas
Missus de Summi Praesulis imperio.
Hunc puerum Petrus docuit praecepta salutis;
Et monuit mores ducere ubique pios.
Abluit Is primus populos in flumine Jadro,
Quo valeat coeli scandere quisque viam.
Praeditus ingenio munus Praeconis obivit
A pelago Adriaco ad litora Danubii.
Splenduit ut radius solis diffusus in orbe:
Namque gravi eloquio gaudia tanta dedit.
Justitia et pietas firmant spem vincere regna,
Ut quisquam ex factis praemia percipiat.
Perfidus interea hostis Ei caput abstulit ense,
Tum omnigenum accepit coelitus auxilium.
Post urbis clarae prostratas funditus arces,
Mox proceres Spalatum jura vetusta ferunt.
Ignorat nemo turres, et templa columnis
Exstructa unitis viribus Illyriae.
Quorsum tanta abiit nostrae cito gloria gentis,
Quae justis vivens legibus, astra petit?
Semper in adversis aeternum Numen adorat,
Nec cessat lacrymis fundere corde preces.
Plebs humilis quaerit, dans vota a pluribus annis,
Ut Pastor possit major adesse gregi.
Quod lege est actum et testes per saecula firmant,
Error non tollit, nec sine jure perit.
Gratia jam venit, magnisque laboribus orta,
Ut Patrem obsequio filius exhilaret.
"Gratia quae tarda est, ingrata est gratia cunctis,
"Cum fieri properat gratia, grata magis.„

DALMATA CAJUS PAPA

suadet Diocletiano aedificandi palatium

PROPE SALONAM

Ellegidion

En Diocli suadet Cajus Pater urbis et orbis,
Ut maris Adriaci littus adire velit!

Ad patriam rediens, senio gravatus et armis,
Galerio et Chloro tradidit imperium.

Ipse quidem constans statuit valedicere sceptro,
Uudique praeclaros convocat artifices:

Hi templum Jovis aedificant: innixa columnis
Tecta, domosque struunt, maenia, et urbis aquas.

Dant nomen Spalato in centro regionis amaenae,
Gaudia nec vitae commoda deficiunt.

Plurima Romano ingenio monumenta refulgent:
Circa urbem omnigemus surgit ad astra lapis.

Munera dant Reges, sacram ingrediuntur in aedem,
Excelsam turrim condidit Elisabeth.

Advena perveniens, est laetus in urbe receptus;
Quisque diu proprium percipit hospitium.

Hic populus vivit longum per Nestoris aevum,
Dum bibit ex dulci pocula plena mero.

Arva ferunt segetes, et fructus abundat in hortis,
Arbore sylvestri copia nulla deest.

DALMATA HIERONYMUS

prima studia Salonis absolvit

ANTEQUAM ROMAM PROFICISCERETUR

Elegidion

Prima puer studia absolvit cito in urbe Salona
    Christiadum Doctor Maximus Hieronymus.

A patre Eusebio Stridonae divite natus,
    Fulsit ubique piis moribus ingenio.

Profectus Romam a Donato discere cepit,
    Quae potuit scriptis, arte, labore satis.

Ipse Parisiacam properat jucundus in urbem,
    Ut crescat fandi gratia in eloquio.

Post aliquos annos Byzantia littora quaerit,
    Ut possit ludis ipse vacare piis.

Perveniens Solymam, Hebraeo sermone peritus,
    Caldeam, et Siriam visere maluerat.

Longinqua veniuut ad Eum e regione potentes,
    De fonte ut capiat quisque salutis aquas.

Damasus hinc hilari sumit tot gaudia mente,
    Codice de sacro Dogmata percipere.

Iam certant populi tantum celebrare Patronum,
    Cujus ab ore nimis dulcia verba fluunt.

„Qui mare, qui terras, qui totum possidet orbem
    Ille dedit nostro praemia digna Viro.

AD JOANNEM IV

PONTIFICEM MAXIMUM

Epiagrmma

Dalmata, Pontificum decus ingens, Quarte Joannes,
Praesidium patriae, deliciumque tuae,

Quis poterit vates inter cultissimus omnes
Laudes imperii concelebrare tui?

Auspice te, Divus Martinus mancipia auro,
Quae jam Abarus fecit, rite redemit ovans,

Reliquias Romam Sanctorum et ducere jussit,
Qui subiere pii nobile martyrium,

Ut Lateranensis sublimis regia possit
Pro Christo famam dicere dalmaticam.

Ter salve natale solum: exemplaria summa
Virtutum mundo tu sine fine refers!

Egregium robur valeant imitare nepotes,
Ut pateat, se non degenerasse patres.

DESTRUCTA SALONA, MARTINUS PRIMUS

MISIT

JOANNEM RAVENNATEM SPALATUM

PRIMATEM DALMATIAE ET TOTIUS CROATIAE

Elegidion

Exulta, Spalatum, peragit dum sacra Sacerdos:
Hoc petit a nobis Religionis honos;
Nam complent hodie bis senos saecula cursus,
Unde salus Domui facta, jubente Deo, est.
Rite Salonarum, prope quas decurrit Hyader,
Laus, pietasque suas hic reparavit opes.
Templa Jovi quondam cultu sacrata profano,
Impete sunt signis expoliata suis,
Et repleta piis Christi cultoribus almo,
Quem dat certa fides, intonuere sono.
Hinc laus summa urbi nostrae jam crevit in orbe,
Hinc dicta Illyrici jam decus omne sinus.
Ast tantam laudem, clarae et tot murmura famae,
Proh lacrymae! nuper perdidit hora brevis.
Nubila post Phaebum; ast surgit post nubila Phaebus;
Saepius, et quae jam cecidere, valent.
Hin bona spes, Cives, vana nec imagine rerum,
Nec nos auguriis decipienda, subit.
Credo equidem Templo, quod tot jam saecla recenset.
Sic stat, erit, qualem spes mihi fingit, honor.
Nil sibi non spondet series densissima rerum
Quid laudis meruit dum celebrabat ovans.
Macte animo, Templum; hoc meliori tempore gaude,
Lux tibi splendidior, candidiorque venit:
Tunc nos excipient ipsis communia Divis
Gaudia, mortali non referenda sono.

AD PONTIFICEM MAXIMUM

XYSTUM QUINTUM

Epigramma

Pontificale decus, Xyste, hoc tu nomine Quinte,
    Cui natale solum Dalmata terra fuit!

Sacra aedes Romae abs te Sancto, est maxima cui laus
    Inter Doctores, impete constiterat,

Exiliitque cohors, canones quae servat honestos
    Slavorum decori praesidioque simul

Ipse opibus, titulis, omni et ditavit honore
    Hanc sedem, cui ingens gloria ubique micat.

Slavica gens illic mensam hospitiumque receptat,
    Ultro quod donat patria religio,

Illic doctorum artificum monumenta decora
    Surrexere novis nuper imaginibus,

Illic servantur Slavorum documenta vetusta,
    Quidquid et est pretii slavica in historia.

Hinc merito salveto omnes, o Xiste, per annos
    Slavorum generi nempe perenne decus.

STEPHANO CUPILI

ARCHIEPISCOPO SPALATENSI

PRIMATI DALMATIAE ET TOTIUS CROATIAE

HYMNUS

Quae mira efficiat, quantaque perferat,
Cui pectus superis ferveat ignibus,
Cupili, decus et gloria Praesulum,
Exemplo docuit suo.

Hic, quidquid studio gens hominum cupit
Insano, teneris spernit ab unguibus,
Atque haeret Domino corde fideliter,
Dum terram pedibus premit.

Hic, fratrum numero quemlibet asserens,
Moerentes reficit, pauperiem levat,
Educit pueros, lenis et excipit,
Ignoscitque nocentibus.

Sed vis nulla, minae nec fera vulnera
De recto solidum tramite dimovent;
Quin mortem impavidus, propositi et tenax
Pro Christi oppetiit grege.

Praesta, summa Trias, quae regis omnia
Cupili ut meritis nos tua Charitas
Inflammet penitus, justitiae et viis
Caeli ad gaudia provehat.

E. K.

PAULO MIOŠIĆ
EPISCOPO
SPALATENSI ET MACARENSI
PRIMUM AD SUAM CATHEDRAM PERVENIENTI

ODE

Musa, coelestum praeeunte caetu,
Personet cantus hilares Ministro,
Quem modo sacra rutilum libenter
Cerno tiara.

Is puer solers teneris ab annis,
Gratiae donis decoratus almis,
Inde jam coepit radiare summo
Lumine morum.

Quid feram quando Spalati vacarat
Litteris laetus nimiumque praestans,
Quando te ad mentem Patavi colendam
Ivit in urbem.

Quis potest multas memorare laudes
Ille quas semper sibi comparavit!
Dant ei mores, alacrisque mentis
Praemia virtus.

Ad suam rursus patriam reversus
Parcit haud ulli studio, aut labori;
Omne quod sacri proprium est ministri
Strenuus implet.

Aestuans zelo properat per urbes
Oppida, et pagos, populos ad astra
Ducit exemplo, simul ac disertae
Munere linguae.

Non latet mundo pietas; ad omnes
Fama Praeconis resonat benigni;
Laudis Illi praemia dat merenti
Dalmata tellus.

Quanta tunc virtus placide monentis;
Qualia et de corde et amantis ore
Verba fluxere, ut teneram doceret
Rite juventam!

Nonne doctrina, probitate clarus,
Sedulis curis obiit docendi
Jadarae munus, meruitque laetos
Tollere plausus!

Caesar hunc tantis meritis coruscum
Et vices prompte varias tulisse
Conscius, dixit: subito vocetur
Nomine Pastor.

Hoc Pius, suprema cui potestas
A Deo, firmat: Spalati vetustam
Occupet sedem, regat Iste gentes
Ordine Praesul.

Lustra per quinque aureus inter orbem
Sol nitens, nobis retulit beatum
Vix diem: Paulo veniente prisca
Tempora surgunt.

Crescit extemplo, velut arbor alta,
Palma coelestis; micat inter omnes
Praesulis virtus: fugiuntque nubes,
Luce recepta.

Hic dies cives recreat dolentes,
Lusibus crebris volitat juventus,
Et sibi somnos adimit canendo
Dulciter hymnos.

Jubilum tandem reboet per auras:
Illius gentes recolant in aevum
Nomen; ast grates referant sereno
Ore Tonanti.

Tardus ad coelos abeat, diuque
Sospes intersit populo, precamur
Corde, ut aeternum pueri, senesque
Numen adorent.

JOSEPHO GODEASSI
EPISCOPO
SPALATENSI ET MACARENSI
FELICITER AD SUAM SEDEM PERVENIENTI

ODE

Nocte jam sidus Spalati coruscat
Littore aprico tenebras repellens,
Excitat gratum juvenes, senesque
Dicere carmen.
Angelus pacis simul ac salutis
Desuper missus, nimium dolentes
Adfuit tandem recreare gentes
Ore sereno.
Is perillustri genitus parente,
Linquit optatos patriae penates;
Litteris mentem excolit, atque doctis
Artibus ornat.
Non latet quemquam pietas, ubique
Moribus lucet placidis: juventus
Cernit exemplar, socium fidelem
Atque magistrum.
Ille, conversis studiis, sacerdos
Factus, et sacras properans per aedes
Verbo et exemplo proprium libenter
Munus adimplet.
Qua vigil Pastor recubans cubili,
Mane consurgens, oculos ad arva
Vertit, ut multo pecori parare
Pascua possit.
Sic suos dulci pueros loquela
Instruit, sic et nimio labore,
Plurimos fecit populos ad astra
Scandere coeli.
Jaderam venit generosus heros
Conferens cunctis meritos honores
Ordinem sacris studuit per oras
Ponere nostras.
Non dolus, non astus in ore puro,
Simplici cernens oculo potentes,
Saepe perfundit pretiosa laeto
Munera corde.
O nimis felix Spalatum! benignus
Dum tibi Praesul lacrymas ab ore
Tergit, et tantos meruit frequenter
Tollere plausus!
In tuo solers gremio Minister
Optimus fulget, velut arbor alta,
Dans suo magni celeres laboris
Tempore fructus.
Surgit et prudens pater ante lucem,
Filios prompte recreans gementes,
Porrigit dextra generosa egenae
Pabula plebi.
Propriae gentis Pater atque custos,
Numinis legem doceat superni,
Quo triumphali redimitus adsit
Tempora lauro.
Jubilo cordis, numerisque vocis
Quisque perquirat sibi comparare,
Quo magis possint modulata reddi
Carmina plectro.
Fervide cives volitant ad aram;
Postulant, multos vigilem per annos
Praesulem ut servet Deus et secunda
Tempora reddat.
Morte dum serus placida quiescet
Coelites prompte reserent superna
Limina, ut vitae teneat perennis
Gaudia Joseph.

ALOYSIO PINI

EPISCOPO

SPALATENSI ET MACARENSI

in templum Spalatense solemniter ingredienti

26 Jan. 1845

Elegidion

Laudibus *aeterni resonent haec moenia regis,*
Quae Patris adventu condecorata micant.

En laetos inter plausus, festivaque gentis
Gaudia saxsoso arx considet alta jugo.

Hic habitura Deum, moestos defendere cives
Nubitus aereis aemula tecta docent.

Tecta nitent intus validis innixa columnis
Marmore constructis, robore Dalmatico.

Regius ingressus, sedes quoque regia splendet,
Undique magnificus surgit ad astra lapis.

Hocce Dei templum festivo murmure Praesul
Ingrediens, spondet prospera, spernit opes.

Iste bonus Pastor veri sit nominis, ajunt,
Qui exemplo monstrat quale salutis iter.

Felices nimium pede qui properante sequentur
Pastorem, qui aula venit ab aetherea.

Ipse quidem meritis praestat benefacta libenter.
Atque labore suo jubila certa parat.

Jucundus, patiens, nunc omnibus omnia factus,
Pervigil et custos gaudet adesse gregi.

Vos Spalati cives, Pastori dicite carmen,
Illius et nomen semper in ore sonet.

In Domini laudes extollite cantica, et Illum,
Non pigeat gratis mox celebrare modis,

Qui ut totum solis radiis illuminat orbem,
Hoc duce sic populo contulit omne bonum.

MARCO CALOGERÀ

EPISCOPO

SPALATENSI ET MACARENSI

Elegidion

Laetus *adest Pastor tantos lenire dolores,*
Qui populum prompto dirigit ingenio.
Ille puer donis fuerat decoratus ab alto,
Moribus incepit tunc radiare suis.
Quid referam quando Sophiae penetralia pandit!
Dum juvenes hilari saepius ore trahit.
In patriam benefacta tulit tot munere linguae,
Quae nemo facili volvere mente potest.
Quot plausus Jadrae meruit renovare triumpho,
Signaque virtutis cum pietate redit.
Caesar cum novit nimia Probitate micantem,
Qui Catari solium Praesulis obtinuit.
Mansit, in urbe decenni legis dogmata tradens,
Quonam quisque modo sidera adire queat.
Cum Clero socius, jam magna negotia solus
Perficit, et cum humili plebe benignus agit.
Noverat ista Pius, data cui suprema potestas,
Major, ait, merito gloria parta suo:
Sedem habeat Spalati, quam amplo canit ore vetustas,
Ipse quidem patiens ordine cuncta regat.
Consilium statuet, quo possint jura tueri,
Tum bonus et vigilans cum grege pastor erit.
Mox laudes tollant puerique, senesque per auras,
Perque omnes fundant florida serta vias.
Incolumis vivat multos in pace per annos;
Post obitum felix regna superna petat.

MAGNO PONTIFICI
SPALATENSI
MARCO CALOGIERÀ

Epigramma

Hic, ubi Romulea demissa sponte Corona,
Auxit naturae Dalmata delicias;

Hic, ubi congessit monimenta perennia prorsus
Aemula romanis, Caesare digna suo;

Hic, ubi fulserunt doctrina, moribus, armis
Tot Magni patriae Dalmatiaeque Decus;

Lucis ubi septem praeclara mente colores
Protulit Eois Praesul et Hesperiis:

Surgit ubi Moles Reginae munere digna
Atria quae Templo serta simulque facit;

Magnus ubi rutilat fundens monumenta per urbem
Aemula romanis, aemula nunc venetis;

Caesar ibi Sedem Tibi confert, Optime Praesul,
Aptior haec Meritis, Ingenioque Tuo.

Ingenti Luci merito Lux additur Ingens,
Junguntur merito Numina Numinibus.

Can. G. SCARPA.

IN SAECULARI FESTO

TRANSLATIONIS

SANCTI DOMNII

Arte Romana monumenta mira
Hic sibi! Divis sua Fana condit,
Sceptra deponit, placidamque praefert
Dalmata vitam.

Clarus hinc ortus Spalati, nec urbis
Romulae talis; potuit quid unquam
Quid casas praeter miserumve sulcum
Fingere pastor?

Quanta sed posthac! velut inter astra
Sol, suâ ditat loca cuncta luce,
Caeteris major, Caput et Magistra
Roma coruscat.

Dulcis et Mater Spalato colenda,
Cui dedit semper generosa dona,
Haec " aget, penna metuente solvi
Fama superstes. "

Te fames vexat, levat aere Roma,
Detrahit vinclis pretio catenas;
Erigit binas tenerae juventae
Ipsa palaestras. (1)

Quis canet digne tua prisca jura?
Praesules dicam tibi quos adesse
Saepe lex, an quos, Borea furente
Obruit unda? (2)

Sedibus multis tuus ipse Pastor
Magna quos Virtus aluit benigne,
Praesules sacrans, dedit ut ministrent
Coelica dona.

Tu micans Ostro (3) celebra Parentes
Quos tibi misit Spalatum roganti,
Praesules dignos super astra tolle
O Phara dulcis.

Sed jubar majus Spalato renitet,
Martyres fundit sua terra felix,
Martyres poscit sibi Roma, sacras
Ornat et Aedes.

Auream terram Caliphornia uber
Cur mihi jactas? nitet haec cruore
Martyrum late madefacta fulvo
Clarior auro.

Jure fit Magnus Spalato Patronus
Domnius primus Fidei Salonas
Attulit donum, vigil et propinquas
Sparsit in urbes.

Nobili pompa, lacrymis, amore,
(Sola quae praestat Pietas superna)
Martyrem transfert Spalatum piâque
Ponit in Ara.

Roma vidisti similes triumphos?
Qualis haec posset celebrare lingua?
Musa, non aude tenuare magna
Carmine parvo.

Saeculo festas referente luces,
Carmen edendum, cumulanda dignis
Ara nunc donis, simul et petenda
Munera pacis.

Prava nunc aetas! soror in sororem,
Frater in fratrem, furit in parentem
Natus, infandum scelus! heu nec ipsis
Parcitur aris!

Fer malis tantis cito fer medelam
Inclyte o *Domni*, patriam tuere,
Et decus chari Spalati, Patrone,
Providus auge.

Fulget en Romae Pater atque Princeps
Nunc *Pius*, semper bona cuncta fundens;
Est tibi Praesul potiore sane
Dignus honore.

Imperat nobis Generosus Heros
Caesar et Claro Spalato favebit,
Caesaris praestans Opus (4) usque noster
Caesar amabit.

(1) Alterum Seminarinm in urbe Spalati, alterum vero in loco Priko nuncupato, (2) Naufragii locus apud Insulam Phariam ab Episcopis aequore submersis vulgo Biskupada vocatur. (3) Joannes Baptista de gente Palavicina, et Zacharias II e gente Delphina Episcopi Pharen. S R. E. Cardinales. (4) Diocletiani Palatium, unde Spalatum.

Can. G. SCARPA.

JOSEPHO JELAČIĆ

BANO CROATIAE

DALMATIAE GUBERNATORI

SPALATUM ADVENIENTI

1850

Elegidion

En nostras volitat celebris Tua fama per oras,
Auspiciis referens gaudia tanta Tuis.

Te veniente, venit florenti copia cornu,
Te Patrem patriae pastor et arma vocant.

Vindice Te redeunt, quas Graecia noverat artes,
Romanique cito vis redit ingenii.

Felices populi, quos nutrit Dalmata tellus,
Te duce, cui praesto est justitia et pietas.

Fontibus e puris undas haurire salubres
Nunc licet; insonti nulla venena nocent.

Ite procul fraudes, nunc denuo surgit honestas
Nec locuples inopi pondere membra gravat.

Vive diu, sed cum mortali e carcere liber
Fulgida veloci presseris astra pede.

Caelicolae insigni patrum Te sede reponent,
Et reddent meritis munera parta Tuis.

PERILLUSTRI DOMINO

ANTONIO BAJAMONTI

UNIVERSALI APPLAUSU

SPALATENSI ELECTO MODERATORI

DIE XVII SEPTEMBRIS MDCCCLXV

Epigramma I

Aemula Romanis Spalati monumenta videntur,
    Mirificum Venetae surgit et Artis Opus:
Quod Romae Reges tot jam volventibus annis,
    Quod Venetum Virtus egit in urbe Ducum,
Unius hoc Spalati, patriae ferventis amore
    Vix Opuscoli geminis lustris edidit Ingenium.
Omnia nunc rerum, quoeso, discrimina confer,
    Illos dic Homines, hic tibi Numen erit.

II

Candida lux salve longos celebranda per annos,
    Quae mihi, quae sociis dulce levamen erit.
Antonî nomen grato clamore per auras
    Personat, et patriae prospera quaeque parat.
Tot Spalati nemo construxit funditus aedes,
    Nemo sic lucet moribus ingenio.
Per mare, per terras merito laetantur amici,
    Divite dum cornu copia fundit opes.
Solus in urbe libenter egenum e pulvere tollit,
    Qui cura et factis adjuvat Artifices.
Tempora fulgenti rursum redimitus honore
    Jubila tanta dabit, nomen ad astra feram.

C. G. S.

ANTONIO PODRECA

CONCIONATORI

In Cath. Eccl. Spalatensi.

ODE

Plausibus magnis, modulisque laetis
Quisque Praeconem celebrare certet,
Nostra qui novit rutila cremari
Pectora flamma.

Verba quam primum labiis resolvit,
Quidnam opes prosint cumulare terris
Dixit, et noxam propriae laboret
Ferre saluti!

O nimis felix sceleris nefandi
Qui cito damnum reparare novit,
Ne miser poenas lueret perennes,
Vindice nullo.

Voce tam forti monuit superbos,
Invido ut linquant laniare morsu,
Quem mage ac fortes poterant tueri
Fratris honorem.

Si tuus lethali oculos veneno
Plenus, insurgat maculare vitam,
Ne tibi damnum ferat, hoc abuti
Desine sensu.

Mira res dices hominem videre,
Quod probat, facto reprobat deinde,
Quin sibi constans studeat beatum
Querere finem.

Quot viros vulpi similes revises,
Qui dolos tendunt inopi ac potenti,
Ut sibi prosint, genus hoc ad ima
Tartara mitte.

Non pius, nequam merito vocatur,
Omne qui munus prece obire censet
Hic Deum tantum labiis honorat,
Corde recedit.

Sic domum fortis mulier gubernat,
Ut dapes natis, famulisque praestet,
Et virum solers variis per annum
Vestibus ornet.

Serus e vivis abeat, diuque
Doctus intersit Spalati minister,
Ut bonos curet puero senique
Fingere mores.

ANTONIO BOETNER

PROFESSORI GYMNASII SPALATENSIS XIII JUNII MDCCCXLII.

EPIGRAMMA

Candida lux salve longum celebranda per aevum.
Quae mihi, quae sociis dulce levamen eris.
Ista dies laeto nimium clamore per auras
Personat, et patriae prospera fata paret.
Tempora fulgenti quando redimitus honore,
Munera tanta dabit viribus ingenii.
Plausibus et cantu incedit studiosa juventus,
Antonî festum nuntiat esse diem
Perquirunt proceres, tali quis laude colendus
Respondent pueri : et optimus ille parens;
Moribus, exemplo tradit praecepta salutis,
Nosque docet rectam semper inire viam.
Grati ergo conamur ei depromere versus,
Qui praebet parvo tot benefata gregi.

Epistola

Hac oriente die, laeto clamore salutant
Antonî festum jam quotquot in urbe sodales
Extant gaudentes de ejus florente juventa,
Et nimium pandunt pleni nunc intima cordis
Gaudia. Ploratus modo matris ab ore recedit,
Nec fratrum luctus, nec clamor ad aetera surgit,
Nec nostrae, ut toties, resonant suspiria gentis.
Nubila vanescunt, coelo redeunte sereno;
Corpore mox valido, solers Antonius aedem
Ingreditur sacram, juvenum comitante caterva,
Ut referat grates ob dona recepta salutis,
Quae dedit ipse Deus, mortales reddere sanos
Gaudens, cui soli vitae suprema potestas.
Undique perfundit plausus et jubila, dixit:
Incolumis vivat, multos vertatur in annos
Ista dies, fati jam jam melioris origo.

FRANCISCO CARRARA

VIENNAE PRIMUM CELEBRANTI SACRUM

ODE

Hac die laetos celebrans triumphos
Cerno Franciscum, properante gressu,
Qui sibi jungens socios Tonantis
Intrat in aedem.

Nemo sic prudens nimis excitatam
Hostium novit rabiem suorum
Ferre, nemo sic potuit cruenta
Frangere tela.

Legibus sacris moderator orbis
Dat viro probo comitem fidelem,
Quem boni mores, animique dotes
Laudibus ornant.

Infremunt hostes, simul ac minantem
Desuper vocem Deus egit, ipse
Gentium judex erit, atque nostri
Gloria fratris.

Dulce curarum, ac senii levamen
Deserit charos patriae sodales,
Caesaris nutu studiosus almam
Ivit in urbem.

Viderant docti proceres Viennae,
Optimis nostrum juvenem micare
Dotibus, digne decoretur, ajunt,
Ordine sacro.

Eja solemni peragenda ritu
Sacra, tunc omnes venient ad aram
Numinis, serto pariter virenti
Tempora cingent.

Jubilet magni domus alta coeli,
Terra jucundo resonet fragore,
Rideant agri, segetes, et omnis
Rideat arbor.

Patrios solers adeat penates,
Tardus ascendat superas ad auras,
Quisque conetur merito referre
Carmine laudes.

FRANCISCO CARRARA

PROFESSORI SEMINARII SPALATENSIS

Patavii Lauream Obtinenti 1842.

JAMBI DYMETRI.

Lux alma coelum purpurat
Dies refulget candida,
In qua triumphi canticum
Francisco ad astra tollimus.

Franciscus ortus Spalati,
Honor parentum gloria,
Ab ore verba dulcia
Profert ad instar fluminis.

Discendi amore litteras
Somnum frequenter abripit,
Noctes, diesque diligens
Domi libenter occupat.

Munus docendi strenue
Totis adimplet viribus,
Lucet suis per omnia
Exemplar auditoribus.

Labore, scriptis, moribus
Sordes repente tollere
Nostris studet de finibus,
Viamque coeli pandere.

Vetusta scrutans strenue
Virgulta, vepres perfodit,
Sepulcra tecta detegit,
Salonae amoene in littore.

Urbis vetustae moenia
Prostrata ferro barbaro
Perquirit; et certe invenit
Fines in amplis vineis.

Ignota solers explicat,
Noscens probe numismata,
Terram, lapillos, rudera
Evertit aere publico.

Sacrata Doctorum Cohros
Dat illi honores debitos,
Lauro coronam conserens,
Ejusque cingit tempora.

Tali potitus munere,
Urbem secundo Caesaris
Petit, repletos gaudio
Plures patronos invenit.

Largitor omnis gratiae,
Solator omnis taedii,
Servet per annos plurimos
Decus perenne patriae.

Laetare felix Adria
Patri canendo carmina,
Qui ducit omnes jugiter
Fruenda coeli proemia.

PEL CENTENARIO DI S. DOIMO PATRONO DI SPALATO

Parole al Dalmata

SONETTO

No, non m' inganno, dalla sua Urna uscio
Oggi una voce, ch' affascina e scuote;
L' Ombra è di Doimo, che le labbra aprio,
E disse in dolci ed armoniose note:
Al Giadro per la Fè non men soffrio,
Che Pietro al Tebro; su cruenta cote
Te generai alla vita, ed io morio
Per arricchirti d' un' eterna dote.
Diciotto secli il Cener mio disfida,
E tal luce e poter ancor sprigiona,
Che fra gli error ti fia sicura guida.
Serba la fede, nè obbliar Salona,
Dove 'l giuro de' Padri tuoi s' annida,
E nella fede avrai merto e corona.

P. L. Macchioni.

A SAN DOIMO D' ANTIOCHIA

Sonetto

E dove or son, Maurilio, e la gradita
Ara del falso Nume, e il tempio altiero
A lui sacrato, per cui zel la vita
Spegnesti a Doimo in modo crudo e fiero?

Nulla io più veggio. L' ara al suolo è trita;
I simulacri infranti; e del primiero
Culto non resta un' ombra che ci addita
D' esecrate deità il bugiardo impero.

Ma quel Vangel a cui tentasti insano
Oppor tua forza ov' è? Dov' è la Fede
A cui tua mente si mostrò ritrosa?

Contro di lei non puote sforzo umano;
Ancor qui bella e maestosa siede
Ed immortal starà, perchè in Dio posa.

A S. GREGORIO VII.

ODE

Figli d' arte e di genio possente
Son le cifre de' dotti volumi,
Che di scienza quai rapidi fiumi
Sgorgan l' onda feconda e vital.

Al fulgor di que' morti docenti,
Sfugge l' ombra d' inganno fallace;
Sprezzan l' ire del veglio mordace,
Dell' invidia il martello fatal.

Della terra ove vider la luce,
Son l' orgoglio e 'l più ricco ornamento,
De' presenti la guida e 'l portento,
Son la gloria di que' che verran.

Ma se splendon com' astri nel mondo,
Son pur parto di mente finita,
Ch' ai bisogni e ai destin della vita
Sovvenire non sempre potran.

Chi dell' uomo i diritti e i doveri
Può con lance temprare sicura?
Chi alla meta può scorger futura
Gl' irrequieti dettati del cor?

Son que' scritti di farmaco vuoti
Alle piaghe dell' alma abbattuta;
Chi le pene e gli affanni ne attuta,
Fra gli strali di massimo angor?

La sol voce discesa dal Cielo,
In eterno volume conserta
